



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ROBENSIS*** IN AETHIOPIA CONSTITUITUR
PRAEFECTURA APOSTOLICA ROBENSIS Ad expeditius et efficacius consulendum spirituali Christifidelium salutis
itemque Evangelizationis operi in Districtu civili Aethiopiae patria lingua «Robe » nuncupato, Congregatio pro Gentium
Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitoque faventi voto Venerabilis Fratris Georgii Panikulam, Archiepiscopi
titulo Caudini et in eadem Natione Apostolici Nuntii, censuit Praefecturam Apostolicam ibidem esse condendam. Nos
igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris totius gregis Dominici, talem sententiam ratam habentes,
summa Nostra potestate sequentia decernimus. A Vicariatu Apostolico Mekiensi distrahimus memoratum Districtum
civilem «Robe », ad ipsum Vicariatum hucusque pertinentem, ex eoque constituimus Praefecturam Apostolicam
Robensem, quam sollicitis curis sodalium Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum committimus; cetera vero secundum
canonicas leges temperentur. Quae praescriptis perducet ad exitum memoratus Venerabilis Frater Georgius
Panikulam; qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione
mittenda. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus
non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die undecimo mensis Februarii, anno Domini bis millesimo duodecimo,*
Pontificatus Nostri septimo. Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*

Nicolaus E.-M. D. Thevenin, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. CIV (2012), n. 5, pp. 400-401.

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana